R. Victor

Compendium

RELIGIONIS CHRISTIANÆ

his turbulentis temporibus

MAGNÆ BRITANNIÆ,

In gratiam & usum studiosæ juventutis

Paraphrasi Epicâ

adornatum.

Prophylacticon.

Dira lues, malesuada fames, lacrymabile bellum,
Sunt tria flagrantis flagra verenda DEI:
Talibus obruitur nunc tota Britannia plagis,
Verritur & scopis insula vasta malis.
Qui studet has precibus vigilans avertere flammas,
Cladibus in mediis Numine tutus erit.

CANTABRIGIÆ:

Ex officina ROGERI DANIEL, Almæ Academiæ *Typographi.* ANNO DOM. 1644.

~~E. 1946~~
1093. e. 181

R. Victor

Compendium

RELIGIONIS CHRISTIANÆ his turbulentis temporibus MAGNÆ BRITANNIÆ,

In gratiam & usum studiosæ juventutis
Paraphrasi Epicâ
adornatum.

Prophylacticon.

Dira lues, malesuada fames, lacrymabile bellum,
Sunt tria flagrantis flagra verenda DEI:
Talibus obruitur nunc tota Britannia plagis,
Verritur & scopis insula vasta malis.
Qui studet has precibus vigilans avertere flammas,
Cladibus in mediis Numine tutus erit.

CANTABRIGIÆ:
Ex officina ROGERI DANIEL, Almæ Academiæ
Typographi. ANNO DOM. 1644.

Epigramma

Ad ſtudioſam juventutem

LONDINENSEM.

ACcipe, lecta Cohors, veræ documenta Salutis,
Et memori gratum pectore conde melos.
ſa decem Præcepta DEI convincere lapſos
Erroris, proprio ſpontè dolore, queunt.
rticuli Fidei relevant peccata fatentes,
Quêis fluit ex Chriſti vulnere tuta Salus.
oſtia grata DEO puræ eſt Oratio mentis,
Quæ reſerat ſuperos clavis adítque polos.
ec Sacra confirmant Triados virtute Sigilla,
Proferat ut fructus arbor amœna bonos.

Jo. Sictor, Rokytſanus,

exul Bohemus.

DECALO-

DECALOGUS.

CUm DEUS Iſacidæ Phariis eduxit ab oris, Exod.
Servitióque truci, bipatentibus æquoris undis,
More ferens Aquilæ profugos velocibus alis,
Ut ſibi grex fierent Sanctus, ſelectus, amicus,
Gentibus ex reliquis, cordis probitate dicatus,
In teſquis Arabum, tot & inter inhoſpita ſaxa,
Hunc Populum charum, quamvis perſæpe rebellem,
Rectiùs unde ſuos poſſet cognoſcere nævos,
Horrendo tonitru, flammæ volitante procellâ
Nube ex fulminea, litui clangore potentis,
Vocéq; terribili, concuſſo pondere montis,
Talibus edocuit placidam traducere vitam,
Has tulit ergò tonans Sinai de culmine Leges :

1. NOn DEUS eſt alius, niſi verus & unus habendus. Exod.
2. Non facienda Sacri cultûs ſimulacra per Orbem.
3. Non erit aſſumens Domini malè Nomen inultus.
4. Septima Lux memori requie celebranda Jehovæ.
5. Semper honorandi vitâ graviore Parentes.
6. Non temerè quiſquam ſtudio factóve necandus.
7. Non violanda thori mœchando vinc'la jugalis.
8. Non committendum, ſcelus inſatiabile, furtum.
9. Non de jure licet falſos producere teſtes.
10. Non domus, aut quicquam vicini concupiendum.

SYMBOLUM APOSTOLICUM.

Postquam oblatus erat, pro crimine, victima Christus,
Fámque voluntatem Patris compleverat omnem,
Cœtus Apostolicus varias dimissus in oras,
Quo pia mens sciret veram bene nosse Salutem,
Et gradibus certis, ceu scalâ, ascendere cœlum,
Has posuit solidas Fidei, pro dote, columnas:

1. CRedo DEUM in Patrem, verbo qui cuncta creavit,
2. Et Jesum in Christum Dominum, Sobolé ejus ab
3. Flamine de Sacro conceptum, è virgine natum, (ævo,
4. Qui cruce tot passus, mortem, tumulúmque subivit:
5. Dæmone sic victo, ternâ Rex luce revixit:
6. Ascensu in cœlos dextræ Patris assidet Heros:
7. Hinc veniet justus cunctis dare præmia judex.
8. Credo in Pneuma Sacrum, Patri Natóque coævum.
9. Credo DEI cœtum, cui inest communio Sancta.
10. Credo Fide in Christum gratis peccata remitti.
11. Credo hominum carnem redivivam à Morte sepulchris.
12. Credo quoque æternam divino in lumine vitam.

ORATIO

ORATIO DOMINICA.

Nè Medicina DEI credentibus ulla deeſſet,
Ad Superóſque aditus, reparati & gaudia Regni,
Filius immenſi Chriſtus Sapientia Patris,
Dux, Via, Petra, Salus, Panis, Lux, Fanua Vitæ,
His voluit verbis, animoq; orare fideles:

SUmme Pater noſter, Solium cui Regia cœli : *Matth. 6, 9, 10, 11 13. Luc. 11.*
1. Sanctificetur in Orbe tuum laudabile Nomen :
2. Adveniat cœleſte tuum per ſecula Regnum :
3. Fiat, ut in cœlis, terris tua Sancta voluntas:
4. Quottidianum hodie da nobis munere Panem:
5. Noſtráque continuò nobis peccata remitte,
Sicut nos aliis ex corde remittimus ultró:
6. Nec ſine nos fragiles tentari caſſe malorum;
Eripe ſed rabido Sathanæ graſſantis ab aſtu.
Námque tuum regnum, tua gloria, ſola pòteſtas
Totius imperio mundi conſiſtit in ævum.
Numine cedat idem, precibus ſit robur ab alto.

Forma verborum
SACRO-SANCTI BAPTISMI.

Poſt fiſſum Solymis, rupto jam pariete, velum,

MAndato Chriſti, cœli terræque Monarchæ, *Matt. Mar. Luc. 2 Eph. 2 Mar. 1 16. Luc. 2*
Sunt Evangelii verâ Pietate docendæ,
Et baptizandæ quovis ſub climate Gentes,
In Sacræ Triados ſemper venerabile nomen
Et Patris, & Nati, ſimul & Spiraminis almi. *Matt 18, 1*

Institutio
COENÆ DOMINICÆ
ex Harmonia Evangelica & Divo Paulo concinnata.

7.4. *Officio in terris Legati rite peracto,*
Filius ipse DEI, cœlestis Pastor ovilis,
Rex, Dominus noster, Christus Servator IESUS,
Post veteres ritus, solennem & Paschatis esum,
Instituit Sacræ moriturus Symbola Cœnæ:

26. QVâ prodendus erat Judæis nocte suprema
28,29 Accepit panem, referens & pectore grates
4.22, Fregit eum, Sociisque dedit, sic fatus, edendum:
25. Hocce meum est corpus pro vobis morte litandum;
2.19, Hæc mea gesta fide, memoríque revolvite mente:
Haud secus accipiens calicem, benedixit eidem,
Omnibus exhibuítque, expressâ voce, bibendum:
Hic meus est sanguis, renovati Fœderis arrha,
Qui modò pro vobis crucis effundetur in ara,
Ut tollantur eo multorum crimina vitæ:
Hæc benefacta pio, stabilíque recondite corde.
Jam nihil hacce bibam vobiscum ex vite, priusquam
Det nova dona mei Regnum sublime Parentis.
11.26 Nam quoties Sacris panis viníque Sigillis
Utimur, his Domini Mortem celebramus acerbam,
Ipse redux aderit dum Majestate tremendus.
17. Quisquis enim indignè panem susceperit istum,
Et biberit poc'lum, non insons ille manebit
Corporis in mortem oblati, Dominíque cruoris.

Hinc

Hinc ſe quiſque probet, rectéque examinet ipſum, v. 2
Sícque edat hunc panem, bibat & memorabile poc'lum.
Quilibet indignus reus eſt conviva Gehennæ *Heb.10.*
Non bene diſcernens Domini cum ſanguine corpus. *1.Cor.10*

Apodicticon Paulinum.

Corporis } eſt Chriſti {fractus} communio {panis.
Sanguinis} {ſacrum} {vinum.

Conſtitutio *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ* ex Sacris Scripturis extracta.

Omnibus in rebus cùm ſit decor optimus ordo,
Quem duce Naturâ paſsim DEUS ipſe requirit,
Poſt hominis lapſum, reparatæ & dona ſalutis,
Debet eum imprimis ſervare Eccleſia Chriſti, *1.Cor.14*
Tam charo precio, Dominique cruore redempta, *1.Pet.1.*
Pandere morigeris, & iniquis claudere cœlum. *19.*

HInc retinet binas Genitrix moderamine claves, *Joh.20.*
Arguat ut lapſos monitis pro labe reatus, *Matt.1*
Et dociles reddat meliùs componere greſſus; *16,17,1*
Sed lapides duros, & neſcia pectora frangi,
Jure poteſt terrere minis, dictísque ſeveris,
Atque arcere Sacris, Socióque excludere cœtu, *1.Cor.5*
Judicio & juſto committere Numinis iræ. *Joh.3.3*

MNEMO-

MNEMONICON BRITANNICUM
de duobus Cadmeis & cruentis prælijs in Anglia, inter Regios & Parliamentarios exercitus, ſpatio unius anni commiſsis.

Eteoſtichon

Primæ Civilis cladis Keintonenſis in Comitatu Warwicenſi Anno Chriſti 1642. *die* 23. *Octobris.*

VICeno terno oCtober DeferbVIt ortV,
CLaDe CrVentarVnt CIVILI rVra BrItannI.

Aliud Eteoſtichon

ſecundæ Civilis cladis Neoburgenſis in Comitatu Bercerienſi Anno Chriſti 1643. *die* 20. *Septembris.*

SoLe qVater qVIno SepteMbrIs In orbe CorVſCo,
ConfLIXêre aCIe, PatrIóqVe CrVore, BrItannI.

Chronoſtichon

conſtitutæ Londini inter Britannos Uniformitatis in Orthodoxa Religione. Anno Chriſti 1643. *die* 25. *Septembris.*

VICenâ qVIntâ SepteMbrIs LVCe, IehoVæ
Pro reCto CVLtV ſaCra Vota Inlêre BrItannI.

FINIS.